

sunt quibus laus approbatioque iure omni debeatur<sup>(a)</sup>. sed poteras, qui<sup>(b)</sup> es nostri nominis amantissimus, et modestius dicere de nobis et existimare benignius, quandoquidem et senatus populusque Romanus et Italia tota magnifice quondam<sup>(c)</sup> iudicavit. atque illud debueras animadvertere<sup>(d)</sup> quod, si quippiam in te est<sup>(e)</sup> rerum 5 decus, quo plurimum redolet oratio tua, sive vives sive morieris, rerum a te tuarum posteris rationem exigent. neque enim impune quenquam carpinus; semper presto solet subsequi<sup>(f)</sup> qui nos corrodant. nunc itaque, quoniam post tot secula refundendus est michi calculus, hec quam<sup>(g)</sup> breviter pro summa rerum habeas. nam 10 plenior quidem defensionem epistola tua, que singulas res meas atque omnem vitam summatim complexa est, postulare videbatur. sed satis hec, ut arbitror, apud equos iudices valitura sunt.

Et multa igitur diximus, et deploravimus multa, ac multa<sup>(h)</sup> quidem variavimus, cum alibi tum in epistolis nostris maxime, 15 quas diu multumque perquisitas tandem invenisti; optarem nusquam inventas unoque mecum interitu extinctas, quando nichil preterea facture<sup>(i)</sup> sunt apud posteros quam ut auctorem suum arguant. que si sola quidem vigiliarum nostrarum iactura esset, facile nobis, ne dicam avide, ferenda videretur; non autem plurimos labores 20 nostros posteritatis negligentia consumptos vereor. sed hec vestra sit querela: ad me redeo. qui igitur multa diximus, multa quoque

- (a) *RG* debentur (b) *RG* quis (c) *G* quidem (d) *L om.* atque - animadvertere  
(e) *RG* quod si quod est in te (f) *RG* subsequi solet (g) *R* hoc postquam *CRG* hec per quam (h) *L* deploravimus, multa ac multa *G om.* et depl. multa (i) *L* ficturae

turis callem in quo ipse satis miserabiliter lapsus es. Omitto Dionysium, omitto fratrem tuum ac nepotem, omitto, si placet, ipsum etiam Dolabelam, quos nunc laudibus ad caelum effers, nunc repentinis maledictis laceras. Fuerint haec tolerabilia fortassis. Iulium quoque Caesarem praetervehor, cuius spectata clementia ipsum lacessentibus portus erat. Magnum praeterea Pompeium sileo, cum quo iure quodam familiaritatis quilibet posse videbare. Sed quis te furor in Antonium impiegit? Amor credo Reipublicae, quam funditus iam corruisse fatebaris. Quod si pura fides, si libertas te trahebat (quod quidem de tanto viro licet opinari), quid tibi tam familiare cum Augusto? Quid enim Bruto tuo responsurus es? Si quidem (inquit) Octavius tibi placet, non Dominum fugisse sed amiciorem dominum quaesisse videberis. Hoc restabat infelix, et hoc erat extre-

mum, Cicero, ut huic ipsi tam laudato malediceret, quod tibi non dicam malefaceret, sed malefacientibus non obstaret. Doleo vicem tuam, amice, et errorum pudet ac miseret tantorum: iamque cum eodem Bruto iis artibus nihil tribuo, quibus te instructissimum fuisse scio. Nimirum quid iuvat alios docere, quid ornatissimis verbis semper de virtutibus loqui prodest, si te interim ipse non audias? Ah! quanto satius fuerat philosopho praesertim in tranquillo rure senuisse, de perpetua illa, ut ipse quodam loco ais, non de hac tam exigua vita cogitantem, nullos habuisse fasces, nullis triumphis inhiasse, nullos inflasse tibi animum Catilinas. Sed de hoc quidem frustra. Aeternum vale, mi Cicero. Apud superos, ad dexteram Athesis ripam, in civitate Transpadanae Italiae Verona, .xvi. Kalendas Quintiles, anno ab ortu Dei illius quem tu non noveras .mcccclv.